

**IV. MANDATUM REGIUM AD PALATINOS DE CONVENTIBUS PARTICULARIBUS,
IN QUIBUS TAXATORES BONORUM ET FUNDORUM DELEGATI
AD DISPENSANDAM PECUNIAM ET AD REFORMATIONEM IURIUM, ELIGI DEBEANT**

Sigismundus etc. ^aMagnifice, sincere nobis dilecte^a. Constituimus in hoc conventu generali^b Cracoviensi, ut in omnibus palatinatibus regni nostri fierent conventus particulares in locis consuetis ad exequendum ea, quae decreta sunt in eo ipso conventu Cracoviensi, et eligendum eos, qui taxaturi sunt bona omnia et fundos iuxta decretum conventus Piotrkoviensis ante biennium habit¹, quod in praesenti generali conventu est approbatum, simulque^c ad designandum atque eligendum unum virum nobilem ex ordine nobilium qui cum palatino seu^d castellano et exactoribus publicas contributionum pecunias dispenset, et ad committendum illi denuo, qui prius ad iura et statuta regni nostri reformanda erat designatus, ut paratus sit ad hoc ipsum reformationis iurium et statutorum negotium ceptum cum aliis perficiendum, quando litteris nostris fuerit admonitus, vel si is mortem obiisset, ad alium in eius locum eligendum. Quare conventum ipsum particularem in N. pro^e feria N. statuimus mandamusque F[idelitati]^f tuae, ut ad illum proficiscatur et omnia supradicta atque alia, quae necessaria esse videbuntur, iuxta constitutiones ipsius conventus generalis Cracoviensis² cum dignitariis et nobilibus palatinatus sui^g agat et exequatur. Pro gratia nostra. Datum^h Cracoviae in conventu ut supra [19 III 1527]. Ad mandatum etc.ⁱ

V. INCORPORATIO DISTRICTUS STRIENSIS IURISDICTIONI CASTRI PREMISLIENSIS^a

Sigismundus, ^bDei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, totius Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres^b. Significamus ^ctenore praesentium, quibus expedit universis^c, quia cum nuntii terrae Premisliensis in praesenti conventu generali constituti coram nobis questi essent omnium nobilium eiusdem terrae Premisliensis nomine, quod illis valde grave et onerosum esset aliquas eorum causas iurisdictionem capitanealem seu castrensem concementes, coram capitaneo Striensi et in castro illo Striensi agere, supplicantes enixe, ut nobiles totius districtus Striensis iurisdictioni castrensi Premisliensi adiungere, annectere et incorporare dignemur, quemadmodum pridem erant annexi et incorporati. Nos tamen^d consideraverimus quod praedecessores nostri, praesertim vero serenissimus et desideratissimus divae memoriae parens noster dominus rex Casimirus ad petitionem eorundem nobilium districtus Striensis illis propter maiorem eorum commoditatem et loci vicinitatem causas et actiones ipsorum iuridicas castrenses illic, in castro Striensi et coram illius capitaneo agere, tractare et prosequi permiserit et a iurisdictione capitanei et castri Premisliensis eos exemerit litterisque desuper opportunas ipsis etiam concesserit. Quia tamen ea supplicatio et petitio universorum nobilium totius terrae Premisliensis, quae etiam districtum Striensem in se continet et includit per ipsos nuntios facta nunc intercessit, quod ipsos nobiles districtus Striensis, quantum ad ipsam iurisdictionem castrensem, aliis unius^e unire et equare dignemur, illosque ad iurisdictionem capitanei et castri

^{a-a} Za podstawę przyjęto tekst z MK₂: Ad palatinos. W Ad castellanos (MK₂): Generosi, fideles dilecte. ^b W Ad castellanos (MK₂) brak. ^c Tak w Ad castellanos (MK₂). W Ad palatinos (MK₂): simul et. ^d W Ad castellanos (MK₂) brak. ^e Tak w Ad castellanos. W Ad palatinos (MK₂) brak. ^f Wydawca odczytał: Sti. [Sinceritati]. ^{g-g} W Ad castellanos (MK₂) palatino ac aliis dignitaris et nobilibus. ^h Tu kończy się tekst w AT. ⁱ⁻ⁱ Tak w Ad castellanos (MK₂): W Ad palatinos (MK₂): etc. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

^a Tekst niniejszy oparty jest na MK₃, natomiast odmianki, zawarte w Archiwum książąt Sanguszków w Sławucie, oznaczono skrótem: Sang. ^{b-b} Brak w MK₃. ^{c-c} Brak w MK₂. ^d tametsi Sang. ^e Brak w Sang.

¹ Mowa o sejmie walnym piotrkowskim 1525-1526 r., por. wyżej, nr XXXVI.

² Por. wyżej konstytucje tegoż sejmu, I.